I. N. J.

DISSERTATIO MEDICO-CHEMICA
De
MEDICAMENTORUM GALENICORUM ET CHEMICORUM ÆQUIPOLLENTIA,

Quam

Fortunante ſummo Numine
& annuente Ampliſſimo Senatu Academico
Publicæ ventilationi ſubjiciet


CHRISTIANUS RAMUS MELCH. FIL.
Reſpondente
GERHARDO DAVIDIS FAYE,

In Auditorio




Anno 1711. die 23 Maji horis p. m. ſolitis.

HAFNIÆ, Typis Georgii Matthiæ Wering,




Imprimatur,

JOH. MULENIUS.







α ϰ ω.

Prologus.

POstqvam naturæ liberalitate non contentus primus homo, naturæ Domino secundus esse parum existimans, æqvalis fieri affectaverat, tam infensam sibi ac inimicam fecit universam naturam, ut omnia elementa in humani generis perditionem conjurasse diceres; urendo enim, ignis, suffocando, aqva, venenosa effluvia & pestiferos vapores exhalando, terra, vehiculum hisce præbendo, aër, interitum hominis qværunt; in hoc tamen miserrimo statu prohibuit summa naturæ Domini benignitas, ne pro qvibus perdi voluit Creator, perderet creatura. Divinâ itaq; factum est curâ, ut inter conjuratos hos statuam humani corporis destructuros fratres plus qvàm Babelica oriretur discordia, ut qvod unus destruere, alter restaurare conetur; qvod incendit ignis, exstingvit aqva, qvæ terra evomit venena, ignis reddit alexiteria, qvod dissolvit ignis, conglutinat terra. Sed parum hoc, qvod alter alteri se opponat, plus est, qvòd unus idemq;, qvos immisit hostes, ipse expellere cogatur, ita qvas infert spiculas ignis, has ipse extrahit, qvos glacialibus aqva ligavit vinculis, hos ipsa solvit, qvæ terra profert venena, hæc ipsa antidotis debellat. Sic divinum Numen eandem, cui maledixit, terram, medicinam producere fecit salutarem. Omnia autem, qvæ sanitati humanæ vel conservandæ vel instaurandæ dicata sunt, ad tria commu-

niter regna reducuntur, ex qvibus Medici, regnorum præfecti, contra hostiles morborum impetus subsidia qværunt, suppeditant tria hæc regna, animale scil. vegetabile & minerale, materiam, unde varia Medici conficiunt tela; sed intestinum qvoq; inter ipsos ortum est bellum, alii enim Galenum seqventes integra pharmaca morbis opponere malunt, alii autem Vulcani ope in sua principia resoluta & Chemicis præparationibus confecta medicamenta efficaciora esse putant. Hoc bellum componere, noster erit in hac dissertatione scopus, & Galenica cum Chemicis ita conciliare, ut ostendatur, suam singulis in medicina esse laudem, nec illa his plane posthabenda, nec illis hæc absolute præferenda. Ne autem qvis ἀμεθοδίας nos arguat, in 3 capita totam nostram dissert: dispescemus, qvorum 1*mum* qvæ Chemica, qvæ Galenica sint ostendet, 2*dum* materiam utrisq; communem esse monstrabit, 3*tium* præparationes & compositiones conciliabit.

CAP. PRIMUM.

Ut ergo præscripta methodo procedamus, qvænam Galenicorum, qvænam autem Chemicorum nomine veniant pharmaca 1*mo* ostendemus. Sunt itaq; Galenica (à Galeno sic dicta) omnia vulgari modo præparata medicamenta, ut decocta, infusa, Electuaria, Olea infusa & expressa, cerevisiæ & vina medicata, syrupi, conservæ, aqvæ destillatæ simplices, pulveres, pilulæ, aliaq;, qvæ passim apud pharmaceuticos habentur. Chemicorum nomine veniunt subtiliori modo præparata omnia, ut extracta, essentiæ, spiritus, tincturæ, aqvæ destillatæ compositæ, salia, flores, Croci

&

& qvæ ſunt reliqva itidem apud Pharmaceuticos paſſim obvia. Sed hic oritur qvæſtio annon Galenica qvædam ad Chemica & vice verſa referri qveant Credo non plane impoſſibile eſſe; ſalia eqvidem plantarum lixiva antiqvis non plane ignota fuiſſe, ante me probavit ſummum Chemiæ decus beatus Euerg: Borrichius in l. contr. Conr. ex Ariſt. l. 2. meteor. c. 3. eſt in umbria (inqvit) locus harundine & juncis freqvens, qvos exurunt, cineremqve in aqva decoqvunt, donec parum ſuperſit humoris, qvi ubi refrixit in ſalem abit copioſum. Varia qvoq; adducit ex Plinio & Galeno loca, ex qvibus evidentiſſimum ſaltem Galeni locum hic proferam: ille exſtat lib. 9. de medic. ſimpl: facult. c. 41. de metallis: Abluto (inqvit) cinere fit Lixivium, cinerem autem uſtorum corporum reliqvias Græci vocant, ſive natura ſint lapidea, ſive arborum & animalium particulæ; fit ergo lixivium, pro ejus, qvod eluitur, natura, ejus qvidem qvod empyreuma, ſive igneam naturam habet acerrimam, ipſum qvoq; acerrimum, ejus, qvod tale non eſt, etiam moderatius. Qvid autem credam hæc ex cineribus parata lixivia eſſe, niſi lixivia Chemicorum ſalia, qvæ, (ut & hoc ab ipſo Galeno diſcant Galenici) non per vim ignis naturam integri deponunt, ſed eſſentiales etiam poſt uſtionem vires retinent. Tincturas, eſſentias, extracta & olea Chemicorum, an cum Galenicorum infuſis, decoctis, oleis expreſſis, vinis & cerevisiis medicatis conciliari poſſint, prolixe diſputare, meum hic non eſt, attamen plane improbabile mihi non videtur.

CAPUT SECUNDUM.

Tria antea diximus esse regna, ex qvibus pro debellanda morborum cohorte subsidia petunt Medici, regnum animale, in qvo animalia, cum rationali, rationis expertia, vegetabile, in qvo cum arboribus innumeræ plantæ, Minerale, in qvo metalla cum succis metallicis. Triplex hoc regnum varia suppepitat simplicia, ex qvibus variè postea præparantur & componuntur medicamenta, alia grossiori modo, qvæ Galenica, alia subtiliori, qvæ Chemica dicuntur, utraq; tamen triplici huic regno suam debent materiam; nec enim veri Chemici vegetabilia, nec veri Galenici omnia metallica respuunt; (de Pseudo- vel Chemicis, vel Galenicis non loqvimur) qvod verò Chemici non omnia, qvæ è stirpibus petuntur, fastidiant, ut falso ipsis affingit Conringius l. de med. Hermet. aliiq; pseudo Galenici, fatebitur qvilibet, qvem ipsorum scripta inspicere non tædet, legat qvis scripta Paracelsi, & si non omnia vacat, saltem ipsius scholia & observationes in Macri poëmata de herbarum virtutibus, & inveniet singulas herbas singulis oppositas esse morbis; Consulat qvis Qvercetanum, strictum aliàs metallicorum defensorem in sua pharmacop. restit. Libav. Helmont. aliosq; & videbit eos medicamenta è vegetabilibus petita non adeo fastidire, qvin ea potius in æqvali cum metallicis pretio habeant; testantur insuper tot de plantis essentiæ, extracta, olea destillata, spiritus, tincturæ, salia plantarum lixiva, Chemicos è foro medico vegetabilia non eliminare velle. Nec tamen inficias eo, in vegetabili regno sufficientia contra qvemlibet morbum posse inveniri

tela

tela, ut è regno minerali, ne dicam & animali plura emendicare non opus sit, sed qvoniam ex innumeris, qvas terra profert plantas, paucarum saltem virtutes nobis sint notæ, reliqæ, in qvibus maxima forsan latet virtus, nobis ignotæ; & si vel maxime cognitæ fuerint, an ergo solis illis acqviescendum? an qvia unus oculus homini sufficere posset, eruendus est alter? Qvidni ergo sola utendum brasica, (ut verbis beati euerg. Borrichii utar) cum certum sit ex Plin. l. 20. c. 4. totum populum Romanum integris sexcentis annis hac medicina usum esse? Qvidni solo Rhabarbaro utendum, cum hanc herbam omnibus opposuerit morbis Mathias Tilingius in sua Rhabarbarologia? Divinam potius grato animo agnoscamus benignitatem, qvæ non unicum sed plurima cuilibet morbo opposuit medicamenta. Nec metalla è foro medico proscribunt ea, qvæ obducunt Misochemici qvidam, qvasi essent venenosa & naturæ humanæ inimica, vel saltem periculosa & ponderosa nimis; sed inanis ille est metus; sint qvædam venenosa dum integra, igne autem vexata venenum facilè deponunt, imo interdum duo venenosa sibi invicem mixta saluberrimam gignunt medicinam; sint e. gr. mercurius sublimatus & antimonium, prius seorsim venenum, juncta in salutare abeunt medicamentum, scil: cinnabarim antim. egregium in febribus & morbis malignis diaphoreticum; naturæ inimica non sunt, ut credunt, qvia à natura vinci neqveunt; alimentorum enim est vinci, ut rectè observavit Sennertus, medicamentorum autem vincere; periculosa non sunt nisi in manibus imperitorum, in qvibus non minus periculosa multa vegetabilia; ponderositas tollitur sublimatione, cal-

cina-

cinatione, aliisq; præparationibus Chemicis; ut taceam ponderositatem compensari minori dosi, cum enim integris unciis propinantur vegetabilia, sufficiunt pauca ex metallicis grana. Qvod autem nec veri Galenici metallica omnia respuant, eorum scripta satis evincunt; Consulant, qvi negant Pseudo-Galenici, ipsum Galen. ll. de medic. simpl. facultat. de remed. parab. item de composition. medic. & si plane sceptici non sunt, non modo negare sed & dubitare desinant; plura qvi desiderat, legat recentiores methodicos, & videbit metallica ipsis non plane esse tædiosa.

CAP. TERTIUM.

Probato jam materiam utrisq; esse communem, restat de præparationibus controversia; utrum Chemicè an Galenicè tractata pharmaca sint efficaciora? pro Chemicis pugnant seqventia: qvod nempe ope Chemiæ tutiora, gratiora & promptiora evadant medicamenta. Tutiora qvidèm, qvòd sine metu recidivæ morborum radices tollant, præcipuè ubi altiores in corpore radices egerint morbi, si enim in intimis corporis recessibus vel sangvis vel alii humores inspissati sint, parum possunt galenica, qvippe qvorum crassiores particulæ in primis viis vires ferè amittunt, Chemicis ergo hic agendum, salibus nempe volatilibus aliisq; medicamentis efficacioribus, qvorum subtiliores particulæ ad intima corporis penetrantes humores pristino statui restituere possunt. Gratiora, cùm purum ab impuro, utile ab inutili arte Chemica separantur; Commendant se qvoq; exigua dosi, libentius enim sumet ægrotus,

tus, si purgandum, pauca extracti panchymag. Crollii vel resinæ Scammonii grana, qvam multas electuarii diacatholici seu diaphænici drachmas, si sudor eliciendus, libentius pauca Bezoartici mineralis aut antimonii diaphoretici grana, qvam potionem qvandam sudorificam ad descriptionem non paucos pedes longam, & sic de cæteris. Promptiora: altius enim penetrant & efficacius operantur Pharmacorum particulæ, remotis, qvibus ligatæ erant fecum vinculis; in regno animali, oleum pingvedinis, sive hominis sive alius cujusdam animalis expeditius ipsâ pingvedine, spiritus urinæ îpsa urina efficacius operantur. In regno vegetabili, promptius vires exserunt, essentiæ, spirîtus & salia plantarum ipsîs plantîs, citius spiritus vitales reficit aqva Cinnamomi, vel tinctura ejusdem qvam ipsum cinnamomum integrum; in febrili sangvinis æstu domando plus præstat unica drachma salis absinthii vel Carduibened. qvam si integræ eædem plantæ ad plurimas uncias propinentur. In regno minerali promptiùs agunt metalla in crocum sublimata, aliisq; modis variè præparata, qvam integra, multum qvidem pæstat ambra grysea in reficiendis langvescentibus corporis spiritibus, efficaciùs tamen operatur ejusdem essentia de reliqvis par esto judicium. Plurima contra hæc obducunt misochemici, qvæ cum omnia recensere non vacat, publico conflictui reserventur; unicum saltem hìc addam, nempe qvod ajunt acria nimis & corrosiva esse plurima Chemica, præprimis mineralia, verum propter hoc non rejici merentur, nisi eodem jure rejiciantur multa vegetabilia, qvid enim acrius allio, sinapi, nasturtio raphano &c. qvibus tamen qvotidie in-

ter epulas utimur, nec firmum eſt concludere ab exterioribus ad interiora; non enim ſeqvitur, roduntur corpora qvædam à ſpiritibus chemicis, ergo in inteſtinis idem producatur effectus; ſolvuntur lapides, margaritæ, corallia, aceto & ſucco citri, ſtomacho & inteſtinis nulla infertur noxa, eodem modo, qvô aqva fortis diſſolvit dura metallorum corpora, mollem ceræ ſubſtantiam relinqvit intactam, acetum diſſolvit duriorem ovi teſtam, illæſa manente tenera interiori membrana, reliqva qvæ opponunt, reciprocari poſſunt. Sed ſit magna Chemicis laus, ſuâ tamen nec deſtituuntur Galenica; Dantur enim medicamenta (obſervante Sennerto) qvæ vires ſuas ita per totum corpus diffuſas habent, ut vel omninò, vel maxima ex parte perdant, ſi partes ſeparentur. Teſtatur Heurnius in ſuá praxi, ſe dolores colicos decocto aniſi plus ſimplici vice ſedaſſe, oleo autem ejusdem fruſtra egiſſe, teſtatur experientia Rhabarbarum toſtum vires laxandi amittere; Qvid de herba Thee dicam, qvæ nondum Chemicis præparationibus ſubjecta, ſuas tamen vires contra varias infirmitates in infuſo communicavit, eadem eſt ratio aliarum plantarum indigenarum, de qvibus videndus beatus Euerg: Borrichius in tract. de uſu plantar. indig. Qvis adhuc arcanum novit præparare ex cortice Peruviano, vires tamen integri qvotidie experiuntur Practici in tertiana & qvartana fugandis. Qvis ignorat virtutes Camphoræ analyſin chymicam minus expertæ. Periti ergo Medici erit pro morborum natura, & indicantium ratione nunc Chemicis, nunc Galenicis uti; nam non omnia Chemica bona, nec omnia Galenica mala.

Tantum.

Corol-

Corollaria.

Cantores amant humores, non moraliter modo, ſed & Phyſicè.

Non aliud Chemici docent per ſalem, ſulphur & mercurium, qvam Galenici per qvalitates primas.

Eandem eſſe adhuc motus qvantitatem, ac fuit ab initio probabile eſt.

Potius albicantem cerebri ſubſtantiam, qvam glandulam pinealem ſenſorium commune dixero.

Egregiè dixit Lucianus:

πίθηκος ὁ πίθηκος κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα.

